

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie
Band: 21 (1907)

Artikel: De B. Virginis Mariae sanctificatione [Forsetzung]
Autor: Prado, Norbertus del
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761747>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 25.11.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

die Verteidigung der Einheit der Form und die Lösung der Einwände dagegen ist, welche sich besonders aus Identität des lebendigen und toten Leibes ergeben, so liegt der Nachdruck in unserem Opusc. auf der Lösung der Schwierigkeit, welche sich aus der Fortdauer vieler Accidentien nach dem Tode ergibt. Die betreffende Partie ist später von Thomas de ente et essentia c. 7 kurz wiederholt worden. Ferner sagt Opusc. XLII c. 17: *Potentia ad aerem occupata est per formam ignis, non tamen perfecta.* Opusc. XLI med. heißt es in gleicher Weise: *Potentia quae est ad unam formam, non perficitur per aliam.* Ich glaube daraus schließen zu dürfen, daß letzteres die Fortsetzung des ersteren sei. Beide genannte Zeugen nennen es unmittelbar nach diesem.

Da von Erstlingswerken des englischen Lehrers gehandelt wurde, nämlich den Opp. de dimensionibus interminatis, de genere et de accidente, so läßt sich konstatieren, daß dieselben viel schwieriger zu verstehen sind, als die späteren, wo derselbe schon zu voller Klarheit gelangt war.



DE B. VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE.

Commentatio in D. Thomae Summae Theologiae P. 3 qu. 27.

(Sequitur vol. XX. p. 238. 346. 463. vol. XXI. p. 72. 208.)

SCRIPSIT

FR. NORBERTUS DEL PRADO ORD. PRAED.

Articulus 5.

Utrum B. Virgo per huiusmodi sanctificationem adeptam fuerit plenitudinem omnium gratiarum.

I.

1. Plenitudo gratiae potest attendi dupliciter: uno modo ex parte ipsius gratiae: alio modo ex parte habentis gratiam. Ex parte quidem ipsius gratiae dicitur esse plenitudo gratiae ex eo, quod aliquis pertingit ad summum gratiae et quantum ad essentiam et quantum ad virtutem; quia scilicet habet gratiam et in maxima excellentia, qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus: et talis gratiae plenitudo est propria Christo. (3 P. qu. 7 a. 9 et 10.)

2. Ex parte vero subiecti dicitur gratiae plenitudo, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem, id est secundum rationem vel dignitatem officii, ad quod aliquis a Deo destinatur. Illud autem, ad quod homo est divinitus praeordinatus, vel est aliquid commune, ad quod praeordinantur omnes sancti, vel aliquid speciale, quod pertinet ad excellentiam aliquorum. Et secundum hoc quaedam plenitudo gratiae est omnibus Sanctis communis; ut scilicet habeant gratiam sufficientem ad merendum vitam aeternam, quae in plena Dei fruitione consistit. Et quaedam plenitudo gratiae specialis aliquibus Sanctis, quae tanto erit perfectior, quanto altior status sive dignitas, ad quam homo eligitur a Deo. (3. P. qu. 7 a. 10 ad 1 et 2.)

3. Plenitudo haec specialis potest sumi, ut extenditur ad plenitudinem intensivam et extensivam. Nam plene dicitur haberi, quod perfecte et totaliter habetur. Totalitas autem et perfectio potest attendi dupliciter: uno modo quantum ad quantitatem eius intensivam; alio modo secundum virtutem, id est secundum omnes effectus vel opera gratiae. Et quamvis habere gratiae plenitudinem utroque modo, considerata plenitudine ex parte ipsius gratiae, sit proprium Christi; habere tamen utroque modo, considerata plenitudine ex parte subiecti, potest etiam esse proprium aliorum. (3. P. qu. 7 a. 9.)

4. Gratia autem Dei est duplex: una quidem, per quam ipse homo Deo coniungitur, quae vocatur gratia gratum faciens; alia vero, per quam unus homo operatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur, et vocatur gratia gratis data. Prima datur ad hoc, ut homo ipse per eam iustificetur; altera vero datur potius, ut ad iustificationem alterius cooperetur. De utraque gratia agitur hic, ut patet ex responsione ad 5. Utraque gratia declaratur a D. Thoma 1. 2 qu. 111 de divisione gratiae: quae scilicet earum sit excellentior; et quomodo alterutra subdividatur in diversas species gratiarum; de gratia autem Dei, quantum ad eius essentiam 1. 2 qu. 110.

5. Gratiae plenitudo significat perfectionem. Perfectio autem gratiae in B. Virgine fuit triplex, ut patet ex responsione ad 2. Unde potest considerari plenitudo gratiae: 1. quam B. Virgo habuit in primo instanti suae conceptionis per sanctificationem in utero matris; 2. quam B. Virgo accepit in conceptione Filii Dei; 3. quam B. Virgo deinde „multum proprio merito gratiae acquisivit crescens

usque ad perfectum aeternitatis diem, ita quod propinquissima fuit et est Christo: 1. et secundum Deitatem in esse gratiae, quamvis non in esse naturae; 2. et secundum humanitatem in esse naturae“. (Caietanus.)

6. Postremo advertendum, quod cum in litera concluditur, B. Virginem prae ceteris gratiam habuisse, potest intelligi dupliciter: vel de gratia data B. Virgini in utero matris, vel de gratia, quam B. Virgo habuit in termino viae. Rursus; prae ceteris maiorem gratiam habere potest exhibere duplicem sensum: 1. ita ut fiat comparatio ad homines tantum; 2. ita ut fiat comparatio ad homines et ad angelos.

Caietanus conatur probare, quod in conclusione non fit comparatio ad angelos, sed ad homines tantum: 1. quia est sermo de gratia data B. Virgini in utero matris, quam constat fuisse minorem gratia angelorum beatorum; 2. quia sermo est de viatorum gratia, ut patet ex responsione ad 2, ubi in B. Virgine perfectissima gratia ponitur, gratia, qua fuit inter comprehensores; 3. quia ratio Literae disparata est ab angelorum ratione, dum illi propinquiores Deo secundum Deitatem inveniuntur, B. Virgo invenitur propinquior Deo secundum humanitatem. „Nec haec ideo, addit, dicta sunt, quasi angeli habeant in coelo maiorem gratiam, quam B. Virgo; hoc enim est falsum, quoniam Ipsa est Domina angelorum; sed ideo dicta sunt, ut haec Litera exponatur ad Literam de gratia sanctificationis in utero.“ Hucusque Caietanus. Bartholomaeus de Medina existimat, quod B. Virgo in prima sanctificatione accepit abundantior gratiam quam supremus angelus; et „haec est mens D. Thomae, ait, in hoc Articulo, ut ego sentio“. Unde convenit cum Caietano, quod D. Thomas loquitur de gratia iam obtenta in prima sanctificatione; sed dissentit a Caietano, inquantum asserit comparisonem fieri a D. Thoma etiam quantum ad angelos.

7. Unde hic distinguere oportet: 1. id, quod est probabile, et id, quod est certum et in quo omnes conveniunt. 2. Deinde significandum erit, quomodo data fuerit B. Virgini gratia in secunda sanctificatione. 3. Tertio, utrum fuerit in B. Virgine tanta gratiae plenitudo, ut non augetur. 4. Quo sensu B. Virgo dicitur Mater divinae gratiae, dispensatrix gratiae.

8. In hoc Articulo declaratur sensus illorum verborum Evangelii: Ave, gratia plena. Pro cuius Literae intelli-

gentia non ad grammaticos, sed ad Doctores et Patres Ecclesiae oportet adire. Quamvis enim in Litera non videatur significari nisi gratiosa, gratificata, si grammatico spiritu perpendatur; attamen sub his verbis Ecclesia, ad quam pertinet de vero sensu Scripturae iudicare, investigabiles divitias Christi Virgini Matri collatas semper legendo intellexit: ita etiam Ambrosius, ita Hieronymus, ita S. Bernardus, ita D. Thomas, ita omnes Ecclesiae Patres et Doctores, qui hunc Evangelii textum evolverunt. Unde frivolum erit, hic velle e grammatica in contra argumentari.

Praeterea quamvis plenitudo gratiae saepius in S. Literis aliis Sanctis tribuatur, ex declaratione Articuli patebit, longe maiorem esse plenitudinem gratiae, quae data est Matri Dei, quam plenitudo, quae aliis Sanctis donata est.

II.

Conclusiones.

1. B. Virgo fuit plena gratia, plenitudine considerata non quidem ex parte ipsius gratiae, sed ex parte habentis gratiam.

Ratio prima. Esse plenum gratiae ex parte ipsius gratiae, est habere gratiam et in maxima excellentia, qua potest haberi, et in maxima extensione ad omnes gratiae effectus. Sed talis gratiae plenitudo est propria Christo, ut supra qu. 7 a. 10 ostensum manet. Ergo.

Ratio altera ex auctoritate D. Thomae, qui eodem Articulo ad 1 explicans illa verba Lucae cap. 1, 28 „Ave gratia plena“, docet: „B. Virgo dicta est plena gratia, non ex parte ipsius gratiae, quia non habuit gratiam in summa excellentia, qua potest haberi; nec ad omnes effectus gratiae; sed dicitur fuisse plena gratia per comparisonem ad ipsam; quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti Eius“.

Ratio tertia. Est enim differentia salvanda inter plenitudinem gratiae Christi et plenitudinem gratiae B. Virginis. Nam ea, quae sunt propria Christi, non sunt alteri attribuenda. Sed plenitudo gratiae Christi ita redundat in omnes, ut ad omnes effectus gratiae et in omnibus se extendat, sicut relaxare culpas et peccata, et donare virtutes et merita, fidem, spem et caritatem. Ad quae

quidem non se extendit plenitudo gratiarum B. Virgini collata, saltem eodem modo: ut D. Thomas tradit in responsione ad 1.

2. Ex parte habentis gratiam B. Virgo fuit plena gratia plenitudine tam intensiva quam extensiva.

Perfectio seu plenitudo gratiae ex parte subiecti, quantum ad quantitatem eius extensivam, dicitur, quando quis habet plene gratiam secundum suam conditionem. Sed B. Virgo habuit gratiam adeo intensam, quantumcumque oportebat ipsam illam habere, et in ipsa intensa est gratia usque ad terminum praefixum a Deo secundum mensuram ipsius divinae Maternitatis. Ergo.

Similiter perfectio seu plenitudo gratiae ex parte subiecti quantum ad extensionem, est habere gratiam secundum omnes effectus convenientes ipsi subiecto habenti gratiam. Sed B. Virgo habuit gratiam gratum facientem et gratiam gratis datam secundum usum huiusmodi gratiarum sibi convenientem tam ad propriam sanctificationem quam ad sanctificationem aliorum. Unde D. Thomas ad 3: „Non est dubitandum, quin B. Virgo acceperit excellenter donum sapientiae et gratiam virtutum et etiam gratiam prophetiae“ etc.

Observatio Caietani. „In responsione ad 3 adverte, quod cum Auctor dicit: Non tamen accepit, ut haberet omnes usus harum et similium gratiarum, sicut habuit Christus, ly omnes non distribuit simpliciter, quia nec Christus habuit omnes usus gratiarum, quoniam non est locutus variis linguis, ut superius dictum est qu. 7 a. 7 ad ult.; sed distribuit pro quasi omnibus, quae in moralibus appellare licet omnia. Christus enim habuit omnes usus gratiarum, quia modicum pro nihilo reputatur; B. Virgo non habuit omnes usus, quia multi sibi defuerunt, quia scilicet impertinentes erant suae conditioni.“

Observatio altera. „Quoad actum doctrinae negatum a B. Virgine, adverte, quod, quia Theologia solida fundatur super Scriptura Sacra, et nullibi in ea reperitur, B. Virginem docuisse, sicut nec Christum locutum linguis, ideo sicut affirmamus Christum non usum gratia linguarum in loquendo, eadem ratione affirmandum est, B. Virginem non docuisse, praesertim cum apostolica auctoritas hoc interdictum mulieribus comprobet. Quod autem dicitur, ipsam instruxisse discipulos Christi de annuntiatione sua, nativitate Filii et Magorum adventu et similibus, ex

Scriptura non habetur; sed habetur, quod Spiritus Sanctus docuit Apostolos omnem veritatem de spectantibus ad fidem, inter quae erat conceptio Christi ex Spiritu Sancto et nativitas ex Virgine, quae etiam in Symbolo posita sunt. Posset tamen dici, quod non publica doctrina, sed familiari instructione, quam constat mulieribus non esse prohibitam, B. Virgo aliqua particularia facta explicavit Apostolis. Auctor autem secundum Scripturam Sacram loquitur, negans ab ea usum sapientiae quoad actum doctrinae.“ (Vide 2. 2 qu. 177 a. 2.)

3. Illud certum est, quod B. Virgo in fine vitae suae habuerit gratiam ac sanctitatem prae ceteris omnibus creaturis, etiam angelis.

Ratio prima ex auctoritate Ecclesiae, quae in festo Assumptionis B. Virginis cantat: „Exaltata es, Sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum ad coelestia regna“. Et rursus: „Ascendit Christus supra coelos; et praeparavit suae castissimae Matri immortalitatis locum; et haec est illa praeclara festivitas, omnium Sanctorum festivitatis incomparabilis, in qua gloriosa et felix, mirantibus coelestis curiae ordinibus, ad aeternum pervenit thalamum; quo pia sui memorum immemor nequaquam existat“. Ex quo apparet, B. Virginem plus habere de gratia sanctificante ac de caritate, quam ipsi angeli. Etenim ut D. Thomas docet 1 P. qu. 12 a. 6: „Qui plus habet de caritate, perfectius Deum videbit et beatior erit“.

Ratio secunda ex communi consensu atque doctrina Patrum et Doctorum. Equidem Patres Ecclesiaeque Scriptores coelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habere, quam in libris ad explicandas Scripturas vindicanda dogmata erudiendosque fideles elucubratis, Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, eiusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. (Bulla *Ineffabilis Deus*.)

S. Ioannes Chrysostomus: „Magnum revera miraculum fuit B. semper Virgo Maria. Quid namque illa maius aut illustrius ullo unquam tempore inventum est, seu aliquando inveniri poterit? Haec sola coelum ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetae, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchae, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique illa quidpiam inter creatas

res visibiles aut invisibiles maius aut excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et Mater, eadem Virgo et Genitrix. Haec enim eius Mater est, qui a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium“. D. Thomas in exposit. Salut. angelicae: „B. Virgo excessit angelos in iis tribus: et primo in plenitudine gratiae, quae magis est in B. Virgine quam in aliquo angelo; et ideo ad insinuandum hoc angelus ei reverentiam exhibuit dicens: gratia plena, quasi diceret: ideo exhibeo tibi reverentiam, quia me excellis in plenitudine gratiae“. Rursus 1. 2 qu. 81 a. 5 ad 3: „Oportebat, ut Mater Dei maxima puritate niteret; non enim est aliquid digne receptaculum Dei nisi sit mundum, secundum illud Psalmi 92. v. 5: Domum tuam, Domine, decet sanctitudo“.

Ratio tertia: In quantum autem creatura aliqua magis ad Deum accedit, in tantum de bonitate eius magis participat et abundantioribus donis ex eius influenza repletur; sicut et ignis calorem magis participat, qui ei magis appropinquat. Nullus autem modus esse aut excogitari potest, quo aliqua creatura propinquius Deo adhaereat, quam quod ei in unitate personae coniungatur. Ex ipsa igitur unione naturae humanae ad Deum in unitate personae consequens est, ut anima Christi donis gratiarum habitualibus prae ceteris fuerit plena. Et sic habitualis gratia in Christo non est dispositio ad unionem, sed magis unionis effectus. (Compend. Theolog. cap. 222.) 1 P. qu. 25 a. 6 ad 4: „B. Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus“. 2. 2 qu. 103 a. 4 ad 2: „Hyperdulia est potissima species duliae communiter sumptae, maxima enim reverentia debetur homini ex affinitate, quam habet ad Deum“. „Hyperdulia debetur soli B. Virgini, quae sola ad fines Deitatis propria operatione naturali attingit, dum Deum concepit, peperit, genuit et proprio lacte pavit.“ (Caietanus ibid.) „Humana natura in Christo nobilissima est, quia per unionem comparatur ad Deum. Post B. Virgo, de cuius utero caro, Divinitati unita, assumpta est.“ (Lib. 1 Sent. dist. 44 qu. 1 a. 3.)

Ratio quarta. Quanto magis aliqua creatura rationalis appropinquat Christo, tanto magis participat gratiam et veritatem. Sed B. Virgo Maria appropinquat magis Christo quam quaelibet alia rationalis creatura, sive homo

sit sive angelus. Et ideo prae ceteris maiorem debuit a Christo gratiae plenitudinem obtinere. Maior: Quanto aliquis magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii. Unde angeli, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis quam homines. Sed Christus est principium gratiae, secundum Divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter. Unde dicitur Ioan. 1, 17: „Gratia et veritas per Iesum Christum facta est“. Ergo. Minor: B. autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem; quia ex ea accepit humanam naturam. (3 P. qu. 27 a. 5 in corp.) Ergo.

Observatio. Hoc argumentum innititur iisdem principiis, quibus supra qu. 7 a. 1 et 9 ostensum fuit, quod necesse est ponere in Christo gratiae plenitudinem omni modo. Unde argumentum primum in Art. 9 assumitur: „Ex propinquitate animae Christi ad causam gratiae. Dictum est enim in Art. 1, quod quanto aliquid receptivum propinquius est causae influenti, tanto abundantius recipit. Et ideo anima Christi, quae propinquius coniungitur Deo inter omnes creaturas rationales, maximam recipit influentiam gratiae eius“. Et in Art. 1 argumentum primum etiam sumitur ex unione animae illius ad Verbum Dei. „Quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influenza ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo, secundum illud Psalmi 83, 12: Gratiam et gloriam dabit Dominus. Et ideo maxime fuit conveniens, ut anima illa reciperet influxum Divinae gratiae.“

Ratio quinta. Ex dictis supra qu. 8 a. 4 Christus non solum est caput hominum, sed etiam angelorum; et de eius influenza non solum homines recipiunt, sed etiam angeli. Beatissima autem Virgo est, „de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus“. (Matth. c. 1.) Et D. Thomas in Ioan. c. 1 lect. 9: „Ista plenitudo redundantiae singulariter spiritualiter fuit in Christo, quia sic redundavit in alios, ut esset gratiae auctor et factor. Sed in B. Virgine fuit medio modo; quia etsi fuerit plenitudo alicuius redundantiae in ea, non tamen ipsa fuit redundatrix gratiae in alios. Sed ab anima eius redundabat gratia in carnem; nam per Spiritus Sancti gratiam non solum mens Virginis fuit Deo per amorem perfecte unita, sed eius uterus a Spiritu Sancto est impraegnatus“.

Caietanus in 3. P. qu. 34 a. 4 notat: „An gratia viatoris sit minor gratia comprehensoris secundum suam quantitatem, an solum ratione modi, quia scilicet comprehensor videt et viator non. Expresse siquidem hoc in loco ex hoc, quod viatoris gratia deficit a gratia comprehensoris, infertur, quod minorem habet mensuram. Et ne dubites, quod de quantitate loquitur, subditur tanta et quanta; et ut accipias haec de ipsa essentia gratiae et non de modo actus, subdit: Et quia gratia illa non fuit sine actu; ubi monstrat, se de ipsa essentia habitualis gratiae locutum, ex hoc ipso, quod postea ad illius actum descendit; et si sic est, consequens est, ut minimus comprehensor habuerit actualiter maiorem gratiam quam Ioannes Baptista et S. Petrus et quicumque alius viator, dum in hac fuerunt vita. Et propterea gratia hic est sicut semen, ita quod quanto maior est hic gratia, tanto in patria erit maior gloria proportionaliter. Nunquam tamen gratia tanta est in via, quanta est gratia consummata, quae est gloria; sicut nec semen est, quanta est arbor sua quantumcunque minima, seu animal suum quantumcunque parvum“. (Vide etiam 1. 2 qu. 114 a. 3 ad 3.)

4. „Ego vero existimo, quod Maria in prima sanctificatione accepit abundantiosem gratiam quam supremus angelus; et haec est mens D. Thomae in hoc Articulo, ut ego sentio.“ (Barthol. Medina.)

Primo. Quoniam B. Virgo, viatrix adhuc et in utero matris, diligebatur magis a Deo quam supremus angelus, et accepta erat ad maiorem gloriam per gratiam, quam tunc habebat. Unde si B. Virgo in utero matris obiret mortem, maiori gloria potiretur in coelis quam supremus angelus.

Secundo. Quoniam hoc ipsum ostenditur argumento D. Thomae; et quod haec sit mens Divi Thomae patet ex titulo Articuli, qui est de prima sanctificatione: ad quem D. Thomas respondet absolute sine distinctione, quod praeter ceteris B. Virgo habuerit maiorem et copiosiosem gratiam per huiusmodi sanctificationem.

Tertio. Praeterea omne privilegium gratiae, quod non derogat dignitati Christi, concedendum est B. Virgini; sed tale est hoc privilegium, de quo facimus sermonem. Beata itaque Virgo Maria ex hoc, quod est maxime coniuncta Christo secundum humanitatem, qui est Deus auctor gratiae, optime colligit D. Thomas, quod ipsa B. Virgo fuerit eidem Christo maxime coniuncta secundum Divinitatem, id est secundum esse divinae gratiae. Unde in Psalm. 86: „Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de Te, civitas Dei“. Et D. Thomas Quodlib. 5 a. 21: „Contingit tamen quandoque, quod unus homo repente incipit ab altiori gradu sanctitatis, quam sit summum, ad quod pertingit perfectio alterius

hominis“. Et S. Bernardus serm. Mulier amicta sole: „Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suae maiestatis. Vestis Solem nube, et Sole ipsa vestiris.“

Observatio. 2. 2 qu. 24 a. 7 ad 3: „Non est autem eadem ratio quantitatis caritatis viae . . . et caritatis patriae . . .“ (Vide etiam 1. 2 qu. 67 a. 6 ad 3 et de Veritate qu. 29 a. 3 ad 5.) „Gratia viatoris habet mensuram minorem respectu gratiae comprehensoris.“ (3 P. qu. 34 a. 4.)

6. „Data est gratia B. Virgini in secunda sanctificatione ex opere suo et etiam ex opere operato, ut cum quis recipit sacramentum“. Ex opere B. Virginis: 1. quia voluntaria sui obsequii munera in conceptione Christi Deo obtulit dicens: Ecce ancilla Domini. 2. Quia in mysterio Incarnationis, quod est „quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et naturam humanam“, consensus B. Virginis exspectabatur loco totius humanae naturae. (3 P. qu. 30 a. 1.) Ex opere autem operato: unde D. Thomas supra Art. 3: „Aliam vero purgationem operatus est in ea Spiritus Sanctus mediante conceptione Christi, quae fuit opus Spiritus Sancti . . . In ipsa conceptione Christi, credendum est, quod ex prole redundaverit in Matrem abundantia gratiae“. Unde in secunda sanctificatione concurrat meritum B. Virginis acceptando et gratias agendo; et praecipue Deus ex sua misericordia infudit magnam copiam gratiarum et virtutum, sicut prius fecerat in prima sanctificatione. Unde 1 ad Timoth. c. 3: „Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria“. Et Lucae c. 1: „Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi“.

7. „Certo tenendum est et statuendum, quod B. Virgo crescebat in meritis et in gratia.“

Primo. Quia erat viatrix et in statu merendi constituta et ambulabat per fidem et non per speciem. Unde 2. Petri 3, 18: „Crescite vero in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis“.

Secundo. „Quia perfectio viae non est perfectio simpliciter; et ideo semper habet, quo crescat.“ (2. 2 qu. 24 a. 8 ad 3.)

Tertio. „Ex hoc enim dicimus esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostrae beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus: cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit caritas, quia per ipsam mens Deo unitur. Et ideo de ratione caritatis viae est, ut possit augeri“. (2. 2 qu. 24 a. 4. Vide 1. 2 qu. 114 a. 8.) Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem. (Proverb. 4, 18.)

8. In B. Virgine fuit triplex perfectio gratiae.

Ratio prima ex Evangelio Lucae 1,28: „Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus Tecum, benedicta tu in mulieribus“. Et iterum ibidem v. 35: „Spiritus superveniet in te, virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei“. Et praeterea Apost. actib. 2,4: „Repleti sunt omnes Spiritu“. Ergo triplex perfectio gratiae seu plenitudo Spiritus Sancti in B. Virgine potest distincte considerari.

Ratio altera ex dictis 2. 2 qu. 24 a. 9. Spirituale augmentum caritatis convenienter potest distingui per tres diversos gradus; ad similitudinem motus corporalis, quod primum est recessus a termino; secundum autem est appropinquatio ad alium terminum; tertium est quies in termino. Unde omnis illa determinata distinctio, quae potest accipi in augmento caritatis, comprehenditur sub tribus gradibus incipientium, proficientium et perfectorum; sicut etiam omnis divisio continuorum comprehenditur sub tribus his: principio, medio et fine, ut Philosophus dicit lib. 1. de coelo. Ergo triplex etiam gradus distinguendi in perfectione gratiae B. Virginis, etsi primus perfectior esset quam ultimus in ceteris Sanctis.

Ratio tertia. Sicut in rebus naturalibus primo quidem est perfectio dispositionis ad formam suscipiendam, secundo autem perfectio ipsius formae, quae est potior, et tertio perfectio finis, quae est antecedentium perfectionum complementum; ita in ordine supernaturali primo consideranda est in B. Virgine perfectio gratiae, per quam disponebatur et reddebatur idonea ad hoc, quod esset Mater Christi; deinde perfectio gratiae ex ipsamet conceptione Christi, ex praesentia Filii Dei in eius utero incarnati; et denique perfectio gratiae ex ipsa gloria, quae est ipsa

gratia consummata, ipsa gratia in fine. In prima perfectione sanctificata est ita, ut praeservaretur a peccato originali et inclinationem suscepit ad bonum. In secunda vero ita, ut totaliter a fomite esset mundata et confirmata in bono. In tertia autem, quae est glorificatio, fuit liberata ab omni miseria et coronata tamquam Regina Angelorum et Regina Sanctorum omnium.

9. Beatissima Virgo revera est Mediatrix inter Deum et homines ac Mater nostra secundum spiritualem vitam in ordine supernaturali.

Ratio prima. Ex dictis supra qu. 26 a. 1 solus Christus est perfectus Dei et hominum Mediator, in quantum per suam mortem humanum genus Deo reconciliavit; at post Christum et in virtute Christi nihil prohibet aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominum cum Deo dispositive et ministerialiter. Sed huiusmodi cooperatione B. Virgo occupat summum locum inter omnes cooperatores ad unionem hominum cum Deo dispositive et ministerialiter, duplici praesertim ratione: primo quia cooperata est per liberum consensum suae voluntatis ad opus ipsum Incarnationis (qu. 30 a. 1); secundo, quoniam, ut D. Thomas docet 2. 2 qu. 83 a. 11: „Quanto Sancti, qui sunt in patria, sunt perfectioris caritatis, tanto magis orant pro viatoribus, qui orationibus iuvare possunt; et quanto sunt Deo coniunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces: habet enim hoc divinus ordo, ut ex superiorum excellentia in inferiora refundatur, sicut ex claritate solis in aerem.“

Ratio secunda. Unicuique a Deo datur gratia secundum hoc, ad quod eligitur. Unde quia Christus, in quantum est homo, ad hoc fuit praedestinatus et electus, ut esset Filius Dei in virtute sanctificandi, hoc fuit ei proprium, ut haberet talem plenitudinem gratiae, quod redundaret in omnes, secundum quod dicitur Ioan. 1, 16: „De plenitudine eius omnes nos accepimus.“ Sed B. Virgo tantam gratiae obtinuit plenitudinem, ut esset propinquissima auctori gratiae, ita quod eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet, et eum pariendo, quodammodo gratiam ad omnes derivaret. Unde Ioan. 1, 14 et 17: „Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis. . . . Gratia et veritas per Iesum Christum facta

est.“ Et Matth. 1, 16: „Maria, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.“

Ratio tertia. Lucae 1, 38: „Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.“ Et v. 43 et 44: „Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.“ Et Matthaei 2, 9—11: „Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer. Videntes autem stellam gavisii sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt Puerum cum Maria Matre eius . . . et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham.“ Et Lucae 2, 16: „Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Ioseph, et Infantem positum in praesepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de Pueri hoc.“ Et Ioan. 2, 1—3: „Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galileae; et erat Mater Iesu ibi . . . Et deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent.“ Et ibidem 19, 25—27: „Stabant autem iuxta crucem Iesu Mater eius . . . Cum vidisset ergo Iesus Matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.“ Et Act. Apostol. 1, 14: „Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum . . . Maria Matre Iesu.“ Et 2, 4: „Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.“ Et Apocal. 12, 1—18: „Et signum magnum apparuit in coelo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim.“

Quae et quanta hic nobis significantur, testatur Ecclesia, dum Virginem Mariam invocat nominibus: Mater Christi, Mater divinae gratiae, Causa nostrae laetitiae, Auxilium Christianorum, Refugium peccatorum. Et rursus: Regina, Mater misericordiae, Vita, dulcedo et spes nostra!

Testantur S. Patres, inter quos S. Bernardus: „Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria.“ (Serm. in Apocal.) „Et quaeramus gratiam, et per Mariam quaeramus; quia quod quaerit, invenit, et frustrari non potest.“ (Sermo de Nativit.) Testatur D. Thomas: „In omni periculo potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa.“ (Exposit. Salut. Angel.) Et rursus: „Mystice autem in nuptiis spiritualibus est

Mater Iesu, Virgo scilicet Beata, sicut nuptiarum consilia-
trix, quia per eius intercessionem coniungitur Christo per
gratiam.“ (In Ioan. c. 2 lect. 1.)

Testantur Romani Pontifices, quos inter Leo XIII. spe-
cialissimo modo declaravit ac magnificavit veritatem huius
9. conclusionis in omnibus ac singulis Literis Encyclicis
de Rosario Mariali, ex quibus subsequenter testimonia ac-
cipiuntur ac breviter indicantur: a) „Praecipuum semper
ac solemne Catholicis hominibus fuit, in trepidis rebus
dubiisque temporibus ad Mariam confugere et in materna
eius bonitate conquiescere. Quo quidem ostenditur cer-
tissima non modo spes, sed plane fiducia, quam Ecclesia
Catholica semper habuit in Genitrice Dei iure repositam.
Revera primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater,
et hoc ipso servandi hominum generis consors facta, tanta
apud Filium gratia et potestate valet, ut maiora nec hu-
mana nec angelica natura assecuta unquam sit, aut assequi
possit. Cumque suave ipsi ac iucundum apprime sit, sin-
gulos suam flagitantes opem iuvare ac solari, dubitandum
non est, quin Ecclesiae universae votis adnuere multo li-
bentius velit ac propemodum gestiat.“ (Encycl. *Supremi
Apostolatus officio* 1883.) b) „Ad Mariam igitur confu-
giendum est; ad eam, quam iure meritoque salutiferam,
opiferam, sospitatricem appellat Ecclesia, uti volens pro-
pitia opem acceptissimis sibi precibus imploratam afferat,
impuramque luem a nobis longe depellat.“ (Encycl. *Su-
periori anno* 1884.) c) „Ex quo non minus vere proprie-
que affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis
gratiae thesauro, quem attulit Dominus (siquidem gratia
et veritas per Iesum Christum facta est), nihil nobis nisi
per Mariam, Deo sic volente, impertiri, ut quo modo ad
summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere,
ita fere nisi per Matrem accedere nemo possit ad Christum.
Quantum in hoc Dei consilio et sapientiae et misericordiae
elucet! Quanta ad imbecillitatem fragilitatemque hominis
convenientia!“ (Encycl. *Octobri mense adventante* 1891.)
d) „Enimvero cum precando confugimus ad Mariam, ad
Matrem misericordiae confugimus, ita in nos affectam, ut
in qualicunque necessitate, ad immortalis praesertim vitae
adeptionem, premamur, illico nobis et ultro, ne vocata
quidem, praesto sit semper, atque de thesauro largiatur
illius gratiae, qua inde ab initio donata est plena copia
a Deo, digna ut eius Mater existeret. Hac scilicet gratiae

copia, quae in multis Virginis laudibus est praeclarissima, longe ipsa cunctis hominum et angelorum ordinibus antecellit, Christo una omnium proxima. Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia, quod sufficit ad salutem multorum; sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum: et hoc est in Christo et in B. Virgine, (D. Thomas opusc. 8. super Salut. Angelic.) . . . Id praeterea si debemus Christo, quod nobiscum ius sibi proprium quodammodo communicavit, Deum vocandi et habendi patrem; eidem similiter debemus communicatum aman-tissime ius, Mariam vocandi et habendi Matrem. Quando autem natura ipsa nomen Matris fecit dulcissimum, in eaque exemplar quasi statuit amoris teneri et providentis, lingua quidem haud satis eloqui potest, at probe sentiunt piorum animi, quanti in Maria insideat benevolentis actuosaeque caritatis flamma, in ea nimirum, quae nobis non humanitus, sed a Christo est Mater . . . Merito in tutela optimae Matris securis laetisque animis conquiescendum.“ (Encycl. *Magnae Dei Matris* 1892.) e) „Neque minus avet animus, eiusdem beneficii optimam apud Deum concilia-tricem, Matrem eius augustam, salutare laudibus et efferre.“ (Encycl. *Laetitiae Sanctae* 1893.) f) „Quod Mariae prae-sidium orando quaerimus, hoc sane, tamquam in funda-mento, in munere nititur conciliandi nobis divinae gratiae, quo ipsa continenter fungitur apud Deum, dignitate et meritis acceptissima, longeque coelestibus Sanctis omnibus potentia antecellens.“ (Encycl. *Iucunda semper expecta-tione* 1894.)

g) „Hinc recte admodum ad Mariam, velut nativo quo-dam impulsu adductae, animae christianae feruntur; cum ipsa fidenter consilia et opera, angores et gaudia communi-cant; curaeque ac bonitati eius se suaque omnia filiorum more commendant. Hinc rectissime delata ei in omni gente omnique ritu ampla praeconia, suffragio crescentia saeculorum: inter multa ipsam Dominam nostram, Me-diatricem nostram, ipsam reparatricem totius orbis, ipsam donorum Dei esse Conciliatricem . . . Mariae fidendum, Mariae supplicandum!“ (Encycl. *Adiu-tricem populi Christiani* 1895.)

h) „Ecquis vero fiduciam in praesidio et ope Virginis tantopere collocatam putare velit et arguere nimiam? Certissime quidem perfecti Conciliatoris nomen et partes

alii nulli conveniunt quam Christo, quippe qui unus, homo idem et Deus, humanum genus summo Patri in gratiam restituerit: Unus Mediator Dei et hominum, Homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus (1. Tim. 2, 6). At vero si nihil prohibet, ut docet Angelicus (3 P. qu. 26 a. 1 et 2), aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter, cuiusmodi sunt angeli sanctique coelites, prophetae et utriusque Testamenti sacerdotes; profecte eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatus convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque Illa operam vel unquam contulerit vel aliquando sit collaturus. Nempe Ipsa ad homines in sempiternum ruentes exitum Servatorem adduxit, iam tum scilicet, cum pacifici Sacramenti nuntium, ab Angelo in terras allatum, admirabili assensu, loco totius humanae naturae (3 P. qu. 30 a. 1) excepit: Ipsa est, de qua natus est Iesus, vera scilicet eius Mater; ob eamque causam digna et peraccepta ad Mediatorem Mediatrix.“ (Encycl. *Fidentem piumque animum* 1896.) i) „Iam quis omnium, quotquot Beatorum incolunt sedes, audeat cum augusta Dei Matre in certamen demerendae gratiae venire? Ecquis in Verbo Aeterno clarius intuetur, quibus angustiis premamur, quibus rebus indigeamus? Cuius maius arbitrium permissum est permovendi Numinis? Quis maternae pietatis sensibus aequari cum Ipsa queat? Id scilicet causae est, cur Beatos quidem coelites non eadem ratione precemur ac Deum; nam a Sancta Trinitate petimus, ut nostri misereatur, ab aliis autem Sanctis quibuscunque petimus, ut orent pro nobis; implorandae vero Virginis ritus aliquid habeat cum Dei cultu commune, adeo ut Ecclesia his vocibus Ipsam compellet, quibus exoratur Deus: Peccatorum miserere. Rem igitur optimam praestant sodales a Sacro Rosario, tot salutationes et Mariales preces quasi sarta rosarum contextentes. Tanta enim Mariae est magnitudo, tanta, qua apud Deum pollet gratia, ut quis opis egens non ad illam confugiat, is optet nullo alarum remigio volare.“ (Encycl. *Augustissimae Virginis Mariae* 1897.) k) „Primum igitur bonorum omnium largitori Deo grates habemus maximas, acceptaque ab eo singula, quamdiu vita suppeditet, mente animoque tuebimur. Deinde subit materni patrocinii augustae coeli Reginae

dulcis recordatio, eamque pariter memoriam gratiis agendis celebrandisque beneficiis pie inviolateque servabimus. Ab Ipsa enim, tamquam uberrimo ductu, coelestium gratiarum haustus derivantur, eius in manibus sunt thesauri miserationum Domini, vult illam Deus bonorum omnium esse principium. In huius tenerae Matris amore, quem fovere assidue atque in dies augere studuimus, certo speramus obire posse ultimum diem." (Encycl. *Diuturni temporis spatium* 1898.)

1) Ac denique Pius X. in Encycl. *Ad diem illum laetissimum* sic: „Per Mariam vitalem Christi notitiam adipiscentes, per Mariam pariter vitam illam facilius assequimur, cuius fons et initium Christus. An non Christi Mater Maria? Nostra igitur et Mater est. . . . Ex hac autem Mariam inter et Christum communionem dolorum ac voluntatis promeruit illa, ut Reparatrix perditum orbem dignissime fieret; atque ideo universorum munerum Dispensatrix, quae nobis Iesus nece et sanguine comparavit." (Anno 1904.)

Articulus 6.

Utrum sic sanctificari fuerit proprium B. Virginis.

I.

Praenotanda. Intentio D. Thomae in hoc Articulo, ut bene observat Suarez, fuit disputare, an Ioannes Baptista et Ieremias fuerint sanctificati in utero. Occasio sive causa disputandi indicatur in corpore Articuli ex eo videlicet, quod S. Augustinus dubium videtur loqui de horum sanctificatione in utero. Ad cuius dilucidationem tria oportet cum D. Thoma distingui, quorum sunt:

1. Utrum Baptista habuerit usum rationis in utero matris, quando fuit sanctificatus; et de hoc movet quaestionem S. Augustinus dubitando, an exultatio Ioannis in utero matris suae usum liberi arbitrii significet. De hoc dumtaxat dubitabat S. Augustinus, et de hoc D. Thomas nihil determinat, sed sic in dubio relinquit. Unde S. Augustinus non praecise movet quaestionem de sanctificatione Baptistae, sed de sanctificatione cum usu liberi arbitrii, id est cum proprio sanctificati actu, scilicet credere, amare et huiusmodi. Caietanus autem supra hunc Articulum advertit, quod ex litera Evangelii sumi potest argumentum ad probandum, quod Ioanni acceleratus fuit usus liberi

arbitrii; quia talis videtur esse ordo effectuum causatorum a salutatione B. Virginis, nempe: a) quod S. Elisabeth primo percepit vocem B. Virginis; b) quod deinde puer secundum mentem; nam puer non in auribus, sed in gaudio exultavit; c) quod demum ad matris mentem intelligentia pervenit; nam et Elisabeth repleta est etiam Spiritu Sancto. Et huic sensui verba S. Ambrosii consonant, dum in Luc. lib. 2. c. 1 scribit de Ioanne, quod prius sensit Dominum.

2. Utrum Baptista et Ieremias fuerunt sanctificati ante nativitatem ex utero; et de hoc nec S. Augustinus nec D. Thomas dubitant, „quia expresse in Evangelio dicitur, quod S. Ioannes Spiritu replebitur adhuc ex utero matris suae, et de Ieremia etiam expresse dicitur: antequam exires de vulva, sanctificavi te“. Unde concludit Angelicus Doctor, eos sanctificatos fuisse in utero, quamvis in utero usum liberi arbitrii non habuerint; sicut pueri, qui sanctificantur per baptismum.

3. Utrum sic sanctificari sit proprium B. Virginis. Sic autem sanctificari potest intelligi tripliciter. a) In sensu explicato in Art. 1. huius quaestionis, nempe ante nativitatem ex utero: et in hoc sensu quaerit D. Thomas; et sic respondere oportet, quod non fuit proprium B. Virginis; cum huiusmodi privilegium collatum fuerit tam Ieremiae quam Ioanni Baptistae. Unde ex hoc facto, de quo fit mentio in Scripturis, infert D. Thomas in Art. 1, quod rationabiliter creditur, quod B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur. b) In sensu amplioris gratiae receptae in huiusmodi sanctificatione: et sic sanctificari proprium B. Virginis est: quia nullus Sanctus fuit ita plenus gratia sicut Beatissima Virgo, ut constat expresse in a. 6 hoc ad 1 et in a. 1 in corpore et per integram quaestionem 27. c) In sensu, quo scilicet sanctificatio facta fuerit in primo instanti animationis: et hoc planum est, quod etiam est proprium B. Virgini. Sed in isto sensu D. Thomas non loquitur, nec ullam facit mentionem in tota ista quaestione, in qua quoad tempus duo solummodo Angelicus Doctor determinavit, nimirum: 1) quod fuit sanctificata ante nativitatem ex utero, 2) quod non fuit sanctificata ante animationem. Utrum autem in hoc vel illo instanti temporis intermedii, nihil determinat D. Thomas, ut saepe saepius manet dictum. Quamobrem si de sanctificatione B. Virginis loquamur, respicientes et ad tempus, in quo facta fuit ante nativitatem ex utero,

et ad abundantiam ipsius gratiae, qua sanctificata fuit, tunc abs dubio oportet dicere, quod sic sanctificari est proprium Beatissimae Virgini. Atque in hoc sensu intelligenda est conclusio 3, per quam repondetur etiam ad titulum Articuli, quamvis D. Thomas non in isto sensu talem titulum apposuit.

II.

Conclusio 1. „Nec est credendum, aliquos alios (praeter Ieremiam, Baptistam et B. Virginem) sanctificatos esse in utero, de quibus Scriptura mentionem non facit.“

Ratio prima. Quia huiusmodi privilegia gratiae, quae dantur aliquibus praeter legem communem, ordinantur ad utilitatem aliorum secundum illud 1 ad Corinth. 12, 7: „Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem“, quae nulla proveniret ex sanctificatione aliquorum in utero, nisi Ecclesiae innotesceret.

Ratio altera. Deus in Ecclesia triumphanti nihil praeter communem ibi legem operatur; quia nulla utilitas esset. Cum igitur in militanti Ecclesia praeter communem legem operatur, ad Ecclesiae utilitatem operatur; ob cuius utilitatem communem legem praetermittit. Secundum rem sanctificatio in utero est actus privilegialis, ergo etiam debet esse secundum cognitionem. Singulares gratiae superexcedunt communem legem divinae Providentiae, ac per hoc harum concessio spectat ad divina miracula. Constat autem miracula ordinari ad aliorum utilitatem. Ideo non solum privilegia, sed ipsa sanctificatio in utero ex hoc ipso, quod praeter legem communem fit, continetur sub gratia, quae datur ad communem utilitatem et consequenter sub spiritu manifestando. Unde ex hoc ipso, quod ad Ecclesiae utilitatem ordinatur, ad Ecclesiae quoque notitiam necesse est ordinetur. Sanctificatio B. Virginis in utero matris, etsi non est tradita in S. Scriptura explicite, est tamen tradita implicite, ex hoc ipso, quod in S. Literis invenitur alicui Sancto concessa gratia sanctificationis in utero, hinc enim habetur, B. Virginem fuisse sanctificatam; quia B. Virgo habuit, quidquid gratiae ceteris collatum est.

Observatio Suarezii. Suarez supra hunc Articulum scribit: „Addit vero et merito D. Thomas, de nullo alio credendum esse, fuisse in utero sanctificatum. Est enim praeter generalem regulam Sacrae Scripturae, a qua

nullus excipiendus est sine eiusdem Scripturae vel Ecclesiae sufficienti auctoritate.“

Conclusio 2. Quare his et non aliis Deus concesserit gratiam sanctificationis in utero, absolute loquendo non potest assignari ratio.

D. Thomas: „Iudiciorum Dei non potest assignari ratio, quare huic et non alii munus gratiae conferat.“ Et lib. 3 cont. gent. c. 161: „Non est ratio inquirenda, quare hos convertat et non illos; hoc enim ex simplici eius voluntate dependet; sicut ex simplici eius voluntate processit, quod cum omnia fierent ex nihilo, quaedam facta sunt aliis digniora.“ Et 1 P. qu. 23 a. 5 ad 3: „Est ratio, quare Deus quosdam eligit et quosdam reprobat . . . Sed quare hos elegit in gloriam et illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem.“ Conveniens tamen videtur fuisse, utrumque dictorum sanctificari in utero . . . Caetanus: „Nota hic, quod duorum propositorum, scilicet quod isti duo sunt sanctificati in utero, et quod nullus alius, auctor primi tantum rationem reddere nititur; quoniam ad affirmationem certa potest consonantia inveniri: ad tam latam autem et altam ac profundam negationem, quae consonantia sat erit?“ Unde ipse Angelicus Doctor, licet assignet rationem cuiusdam convenientiae, quare uterque, Ieremias scilicet et Baptista fuerunt sanctificati in utero, ad praefigurandam sanctificationem per Christum faciendam per passionem et Baptismum; quia passionem Christi Ieremias apertissime praenuntiavit, et ad Christi Baptismum Ioannes suo baptismo homines praeparavit; verum tamen, cum agitur de iudiciis Dei et de ipsius gratia hominibus conferenda, haec et alia huiusmodi sunt apud D. Thomam veluti principia seu axiomata, nempe: a) „Sicut in potestate Christi est dare vel non dare, ita dare tantum vel minus.“ (Ad Ephes. c. 4 lect. 2.) b) „Hoc ergo, quod unus habet caritatem longam, latam, sublimem et profundam, et alius non, venit ex profundo divinae praedestinationis.“ (Ad Ephes. c. 3. lect. 5.) c) „Qui plus conatur, plus habet de gratia; sed quod plus conetur, indiget altiori causa.“ (In Matth. c. 25.) d) „Quare circa illum sic misericorditer agit potius quam circa alium, hoc solum pertinet ad suam voluntatem.“ (In Matth. c. 11.)

Conclusio 3. Sic sanctificari in utero, videlicet in primo instanti animationis et cum adeo ampla sanctificationis gratia, proprium fuit B. Virgini.

Ratio prima. Sanctificari in utero convenit Ieremiae et Ioanni Baptistae secundum S. Scripturas. Sed alio modo convenit eis haec specialis sanctificatio et alio modo B. Virgini; quoniam illi fuerunt sanctificati ante nativitatem ex utero, et B. Virgo in primo instanti suae conceptionis, quae dicitur nativitas in utero, ut ex Bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* est solemniter definitum.

Ratio secunda. Dictum est enim, quod propter hoc B. Virgo fuit sanctificata in utero, ut redderetur idonea ad hoc, ut esset Mater Dei. Sed sic sanctificari est proprium ei, ut est ei propria dignitas Divinae Maternitatis. Ergo.

Ratio tertia. B. Virgo per huiusmodi sanctificationem, per quam fuit perfecte disposita ad hoc, quod esset Dei Mater, ampliorem sanctificationis gratiam obtinuit, quam Ioannes Baptista et Ieremias, qui sunt electi ut speciales praefiguratōres sanctificationis Christi. Cuius signum est, quod B. Virgini praestitum est, ut de cetero non peccaret nec mortaliter nec venialiter, aliis autem sanctificatis creditur praestitum esse, ut de cetero mortaliter non peccarent, Divina eos gratia protegente.“ Ergo.

D. Thomas ad Rom. c. 8 lect. 5: „Spiritum Sanctum et tempore prius et ceteris abundantius Apostoli habuerunt: sicut et in fructibus terrae illud, quod primo ad maturitatem pervenit, est pinguius et magis acceptum . . . Ex quo patet, quod Apostoli sunt omnibus aliis Sanctis, quacumque praerogativa profulgeant sive virginitatis sive doctrinae sive martyrii, praeferendi, tamquam abundantius Spiritum Sanctum habentes . . . Si autem dicat aliquis: potest tantum quis conari, quod habebit aequalem caritatem cum Apostolis; dicendum, quod caritas hominis non est a seipso, sed ex gratia Dei, quae datur unicuique secundum mensuram donationis Christi, ut dicitur Ephes. c. 4. Unicuique autem dat gratiam proportionatam ei, ad quod eligitur; sicut homini Christo data est excellentissima gratia, quia ad hoc est electus, ut eius natura in unitatem personae divinae assumeretur; et post eum habuit maximam plenitudinem gratiae B. Maria, quae ad hoc est electa, ut esset Mater Christi. Inter ceteros autem ad maiorem dignitatem sunt electi Apostoli, ut scilicet immediate ab ipso Christo accipientes aliis traderent ea, quae pertinent ad salutem.“ Et ad Ephes. c. 1 lect. 3: „Ex quo apparet temeritas illorum (ut non dicam error), qui aliquos Sanctos

praesumunt comparare Apostolis in gratia et gloria. Manifeste enim patet ex verbis istis, quod Apostoli habent gratiam maiorem quam aliqui alii Sancti post Christum et Virginem Matrem. Si vero dicatur, alios Sanctos tantum mereri posse, quantum et Apostoli meruerunt, et per consequens tantam gratiam habere: dicendum, quod bene argueretur, si gratia pro meritis daretur; quod si ita esset, iam non esset gratia, ut dicitur ad Rom. c. 11. Et ideo sicut Deus praeordinavit aliquos Sanctos ad maiorem dignitatem, ita et abundantiore gratiam eis infudit, sicut Christo Homini, quem ad unitatem personae assumpsit, contulit gratiam singularem; et gloriosam Virginem Mariam, quam in Matrem elegit, et quantum ad animam et quantum ad corpus gratia implevit. Et sic Apostolos, sicut ad singularem dignitatem vocavit, ita et singularis gratiae privilegio dotavit: ad Rom. 8, 23: Nos ipsi primitias Spiritus habentes: id est tempore prius et ceteris abundantius. Temerarium est ergo aliquem Sanctum Apostolis comparare.“

Epilogus totius quaestionis 27.

1. S. Hieronymus (de Assumptione B. Virginis.): „Qualis et quanta esset beata et gloriosa semper Virgo Maria, ab Angelo divinitus declaratur, cum diceret: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Talibus namque decebat oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quae dedit coelis gloriam, terris Dominum pacemque re-fudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Et bene plena: quia ceteris per partes praestatur; Mariae vero simul se tota infundit plenitudo gratiae. Vere plena, quia etsi in S. Patribus et Prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena: in Maria vero totius gratiae, quae in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter.“

2. S. Cyrillus Alexandrinus (homil. contra Nestorium): „Sit etiam tibi, sancta Dei Mater, laus... Per te Trinitas sanctificatur; per te crux pretiosa celebratur et adoratur in toto orbe terrarum. Per te exultat coelum, laetantur Angeli et Archangeli, fugantur daemones, et homo ipse ad coelum revocatur.“

3. D. Thomas in 4 Sent. dist. 30 qu. 2 a. 1 qu. 2: „In B. Virgine debuit apparere omne illud, quod fuit perfectionis.“ Et 3 P. qu. 27 a. 4: „Simpliciter fatendum est,

quod B. Virgo nullum peccatum commisit, ut sic in ea impleatur, quod dicitur Cantic. c. 4, 7: Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te." Lib. 3 Sent. dist. 3 qu. 1 a. 2 sol. 1 ad 4: „Illa sanctificatio B. Virginis excellentior fuit sanctificationibus aliorum . . . in B. Virgine inclinatio fomitis omnino sublata fuit et quantum ad veniale et quantum ad mortale: et quod plus est, ut dicitur, gratia sanctificationis non tantum repressit in ipsa motus illicitos, sed etiam in aliis efficaciam habuit ita ut, quamvis esset pulchra corpore, a nullo unquam concupisci potuit.“

4. S. Bernardus (serm. 2 in Pentec.) declarans illa verba Psalmi: „Operatus es enim salutem in medio terrae“, ait: „Medium terrae est Maria. Ad illam enim, sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum Causam, sicut ad Negotium saeculorum, respiciunt et qui in coelo habitant, et qui in inferno, et qui nos praecesserunt, et nos, qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi, qui sunt in coelo, ut resarciantur; et qui in inferno, ut eripiantur; qui praecesserunt, ut Prophetae fideles inveniantur; qui sequuntur, ut glorificentur. Et beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina coeli. In te enim Angeli laetitiam, iusti gratiam, peccatores veniam invenerunt in aeternum.“

5. S. Bernardus (serm. de Nativitate B. Virginis): „Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis . . . Redempturus humanum genus pretium universum contulit in Mariam . . . Altius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria; ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens . . . Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc venerationem; quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.“

6. Leo XIII. in Lit. Encycl. *Octobri mense adventante* inter alia plurima laude et memoria digna sic: „Ipsa praeclarissima Maria, potens ea quidem Dei parens Omnipotentis, sed quod sapit dulcius, facilis, perbenigna, indulgentissima. Talem nobis praestitit Deus, cui hoc ipso, quod Unigeniti sui Matrem elegit, maternos plane indidit sensus aliud nihil spirantes nisi amorem et veniam; talem facto

suo Iesus Christus ostendit, cum Mariae subesse et obtemperare ut Matri Filius sponte voluit; talem de cruce praedicavit, cum universitatem humani generis in Ioanne discipulo curandam ei fovendamque commisit; talem denique se dedit Ipsa, quae eam immensi laboris haereditatem a moriente Filio relictam magno complexa animo materna in omnes officia confestim coepit impendere. Tam carae misericordiae consilium in Maria divinitus institutum et Christi testamento ratum inde ab initio sancti Apostoli priscique fideles summa cum laetitia senserunt, senserunt item et docuerunt venerabiles Ecclesiae Patres, omnesque in omni aetate christianae gentes unanimae consensere; idque ipsum vel memoria omni literisque silentibus, vox quaedam a cuiusque christiani hominis pectore erumpens loquitur dissertissima. Non aliunde est sane quam ex divina Fide, quod nos praepotenti quodam impulsu agimur blandissimeque rapimur ad Mariam; quod nihil est antiquius vel optatius, quam ut nos in eius tutelam fidemque recipiamus, cui consilia et opera, integritatem et poenitentiam, angores et gaudia, preces et vota, nostra omnia plene credamus; quod omnes iucunda spes et fiducia tenet, fore ut, quae Deo minus grata a nobis exhiberentur indignis, ea Matri Sanctissimae commendata sint grata cum maxime et accepta. Quarum veritate et suavitate rerum quantam animus capit consolationem, tanta eos aegritudine dolet, qui divina fide carentes Mariam neque salutant neque habent Matrem; eorumque magis dolet miseriam, qui fidei sanctae cum sint participes, bonos tamen nimii in Mariam profusique cultus audent arguere: qua re pietatem, quae liberorum est, magnopere laedunt. Per hanc igitur, qua Ecclesia asperrime conflictatur, malorum procellam omnes filii eius pii facile vident, quam sancto officio adstringantur supplicandi vehementius Deo, et qua praecipue ratione niti debeant, ut eadem supplicationes maximam efficacitatem sint habiturae. Religiosissimorum Patrum et maiorum persecuti exempla ad Mariam Sanctam Dominam nostram perfugiamus; Mariam Matrem Christi et nostram appellemus, concordisque obtestamur: Monstra te esse Matrem; sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus."

Ex quibus omnibus in hac quaestione 27 disputatis in perspicuo est positum, quod Beatissima Virgo altiori modo fuit et est Mater viventium, quam Eva; quia est

Mater Christi et Mater omnis gratiae et virtutis. Unde Eccl. c. 24: „Ego Mater pulchrae dilectionis et timoris, et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Spiritus enim meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et favum. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.“



DIE PHILOSOPHIE DES MONISMUS.

(Fortsetzung von Bd. XXI. S. 42. 178.)

VON FRIEDRICH KLIMKE S. J.

2. Der naturphilosophische Monismus.

35. Die große Anmaßung und grenzenlose Willkür, mit der der deutsche Rationalismus in seinen Systemen voranging, zog als Rückschlag den extremen Materialismus nach sich, der im berühmten Materialismusstreite um die Mitte des vorigen Jahrhunderts die Aufmerksamkeit aller auf sich zog. Mehr und mehr wandte man sich von den aprioristischen Systemen des Rationalismus ab und der Wirklichkeit zu, um hier einen festen Halt unter den Füßen zu gewinnen, den man dort verloren hatte. Schon Schelling hatte sich der verlassenen Natur angenommen und ihr in seiner Philosophie den Ehrenplatz eingeräumt; seine Nachfolger gingen auf dem eingeschlagenen Wege weiter. So gestaltete sich allmählich der Übergang von einer rationalistisch-metaphysischen zu einer empirisch-naturwissenschaftlichen Phase. Diese Umwandlung der Gedankenwelt drückte auch den monistischen Bestrebungen ihr besonderes Siegel auf. Denn wir finden jetzt zahlreiche Philosophen, die ihren Monismus von naturwissenschaftlicher Basis aus zu begründen suchen.

In dieser Bewegung hat man jedoch zwei Richtungen zu unterscheiden. Die einen, welche Schellings Spuren getreu folgten, bedienten sich der deduktiven Methode, die noch in engster Beziehung zum Rationalismus stand. Bald jedoch verknüpfte sich die deduktive Methode mit der empirischen Forschung; der Naturalist Lorenz Oken und der Physiker Hans Christian Oerstedt dürften hier